

tulisset, ingentibus interim ferocissimarum gentium exercitiis impigre superatis, pacatoque provinciæ statu, quum Sophiæ literis, quæ tum Orientis Imperium ob mariti dementiam administrabat, non sine pristinae fortunæ exprobratione, quasi imbellis eunuchus ad telam & pensa esset revocatus, Alboinum Longobardorum regem ex Pannonia magnis pollicitationibus ad res Italiae sollicitandas concitavit: quod per literas ipsi conviciatrici prius non obscure significaverat, *Fore*, dicens, *ut is qui in obrectatorum gratiam tam mollis haberi cœpisset, ut ad pensa & calathos velut muliercula quædam revocaretur, eam telam paulo post orsurus esset, quæ & Sophiæ insolentissimæ fœminæ, & iis qui tam petulanter veteri fortunæ suæ insultarent, esset inextricabilis.* Nec illud movebit quempiam, quod Longobardorum opera Narsetem sub primum ipsius adventum in Italiam usum diximus, in qua nullum per id tempus ea gens habebat principatum: ex Pannonia, quantacunque fuit illa auxiliaris manus, ab eo dicitur quæsitæ. Originem ejus gentis, quando nostri consilii fuerat ab initio, a rebus Venetis non longius recedere, supra quam brevissime exposui. Longobardicis igitur temporibus, Paulus Aquilejensis antistes, omnes ecclesiæ thesauros cum sacris & veteribus cæremoniis Gradum deportavit, ubi phanum Euphemie sacrum dicitur constitutum. Pelagius pontifex auctor fuit, Helia annitente, qui Paulo defuncto, uno Probino, velut quibusdam placere video, interjecto, successit, ut frequentissimo antistitem conventu Gradenfis ecclesia omnium quæ in Venetis essent, Mater haberetur: ipsum verò oppidum *nova Aquileja* est dicta: quod ex antiquissimis urbis annalibus quidam se didicisse affirmant. Per hæc tempora magna prodigia facta dicuntur: igneæ acies cruore suffusæ in cœlo visæ: ipsa tellus in prodigiosam omnium frugum feracitatem resoluta est. In Venetis terris ac tota pene Gallia Cisalpina ingens diluvium repente extitit, ita ut Athesis fluvius, qui Veronam perfluit, prodigiose auctus fastigium ædis divi Zenonis, quæ in parte urbis sita est atque fluvio proxima, pene inundarit: datumque miraculo illud, quod apertis interim fenestris violentus

da 1070  
-V a 1070  
... 1070

402

568

Primi Gradenfes Antistites.

Ecclesia Gradenfis aliarum Mater constituitur.

580

Prodigia.

590

002